

THESIS I.

**S**uccessio ab intestato rectè definitur, quam lex immediate defert absque facto hominis, sive, est jus acquirendi hereditatem sola lege, citra voluntatem defuncti expressam alicui delatam. §. ult. 7. per quas person. cuiq; acquir. l. 3. §. 2. ff. pro Soc. l. antequam. 8. C. Commun. de success. l. 3. ff. und. liber.

TH. II.

Intestatus vero decedere dicitur, qui aut omnino testamentum non fecit, vel non jure fecit, cujusve testamentum conditum, ruptum, irritum factum, desertumve, vel ut inofficiosum rescissum est. pr. 7. de success. que ab intest. defer. l. 1. pr. ff. de suis & legit. l. intestatus. 64. ff. de V. S. pr. 7. & l. quemadmodum. 7. ff. de inoff. test. l. 1. §. 1. ff. quis ordo in poss. serv.

TH. III.

Non sic parentibus liberorum, ut liberis parentum debetur hereditas, parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos naturæ simul & parentum commune votum. l. scripto. 7. §. 1. ff. unde liber. & l. cum ratio. 7. pr. ff. de bon. damn.

TH. IV.

Jure novo N. 118. Omnis successio ab intestato, vel fit jure sanguinis, vel ex ratione aliqua civili. Nam cognationis substantia bifariam apud Romanos intelligitur. Nam quædam cognationes jure Civili, quædam naturali connectuntur, & nonnunquam utroque jure concurrente, & naturali & civili, copulatur cognatio. l. 4. §. 2. ff. de grad.

TH. V.

Habenda autem in hac successione prima ratio Descendentium: Secunda Ascendentium: tertia Collateralium. Fundamentum est, quod gradus cognationis alii superioris ordinis sint, alii inferioris, alii ex transverso, sive à latere. Superioris ordinis sunt parentes, inferioris liberi, ex transverso fratres & sorores liberi que eorum. l. 1. §. 1. ff. de Grad.

TH. VI.

Descendentes primi gradus soli, cujuscunque sexus, omnibus ascenden-